

quem ipsa eligeret. Imo addit: *In his actibus qui disconveniunt voluntati, voluntas quasi prævenit Deum*, quod est sano modo intelligendum, scilicet, non secundum propriam antecessorem causalem, sed secundum rationem quamdam causæ determinantis, ut supra libro primo explicatum est.

Gregorius in 2, d. 28, q. 1, art. 3, ad 12, ait Deum concurrere cum voluntate ad actum malum, *non faciendo illam eligere actum malum, sed partialiter (ait) efficiendo, qui est modus communis quo concurrat ad cujuslibet creati agentis quemlibet effectum*. Vocat autem concursum Dei partialem effectorem, partialitate (ut aiunt) causæ, non partialitate effectus; non enim agit partem effectus, sed totum; tamen, quia non solus agit, sed cum alia causa, ideo ait esse partialem coefficientiam ex parte causæ absolute sumptæ; quamvis in suo genere, causæ scilicet primæ, agat Deus ut causa totalis. Quoniam vero ipse Gregorius opinatur ad omnem actum bonum esse necessarium auxilium gratiæ, ideo differentiam in hoc constituit inter actus bonos et malos, quod ad actus bonos Deus applicat voluntatem, non ad malos; sed intelligit de applicatione per gratiam excitantem, quæ non tollit potestatem resistendi, ut ibidem dicit. Idem in 2, distinct. 34, art. 3, ad 8, agens de concursu Dei ad materiale peccati, ait potius Deum sequi determinationem voluntatis, quam e contrario; quod quomodo intelligendum sit, jam dixi.

13. Gabriel omnino imitatur Gregorium, in 2, distinct. 37, quæst. unica, art. 3, dub. 2. Andreas de Castronovo, in 1, d. 22, per plures quæstiones copiose, et acute, et non inerudite, hanc rem disputat, et eodem modo declarat hunc concursum ad actum peccati, et specialiter quæst. 2, ad 2, ait, *Deum velle hunc actum, non velle absolute simpliciter et efficaci, nec velle præordinante, sed solo velle generalis influentiæ, quod est tantum velle secundum quid et conditionaliter, quia, quantum est ex se, potius vellet Deus illum actum non fieri; tamen, si voluntas creata vult illum ponere, non vult subtrahere influentiam suam*. Et magis vult (ait) voluntatem creatam suæ libertati relinqui, et per consequens suam generalem influentiam paratam esse, quam voluntatem creatam omnino impedire vel necessitare. Postea vero, quæstionibus quarta, sexta, septima et octava, videtur admittere has locutiones: Prima causa prius natura agit, quam secunda; et: Secunda agit quia agit prima, et non e contrario;

sed quo sensu loquatur, superiori libro dictum est.

Almainus, tractat. primo Moral., c. primo, refert quosdam asserentes Deum non velle actum malum, etiamsi efficiat illum; ipse autem ait velle, non antecederet, sed concomitanter, quod non potest aliter intelligi nisi ex parte objecti. Clarum namque est velle Dei antecedere, est enim æternum; tamen per illud non vult Deus nisi concomitanter influere in actum, quod in idem redit; quia hoc ipsum nihil aliud est quam velle actum non simpliciter, sed si voluntas creata velit simul concurrere.

Scotus in 2, d. 37, § *Ad solutionem*, hanc plane sententiam docet, cujus verba supra retuli libr. 1, cap. quinto, in fine.

Franciscus Maironis, secutus Scotum, in 2, d. 43, quæst. 4, ait Deum, concurrente ad actum peccati, non velle illum voluntate antecedenti, sed consequente, quod explicans, ait: *Vult enim pactum tenere, et non fugere, scilicet, quod in omni actione creaturæ assistit in causando, et ad bonum et ad malum*.

Bonaventura, in 2, d. 37, art. 1, quæst. 1, ad ult.: *In operibus (inquit) indifferentibus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio divinæ virtutis, quæ existens in creatura potentialiter, essentialiter et præsentialiter, sicut conservat eam in essendo, sic adjuvat in operando, propter quod conceditur ibi esse cooperatio, non præventio vel subsequutio*; et ibidem ait, Deum non excitare, nisi ad opera bona et meritoria, non ad mala et indifferentia; intellige, ut indifferentia sunt.

Ex Alensi plura adduxi supra, lib 1, c. 14, quæ hic etiam applicari possunt, sed præcipue favet 1 p., quæst. 40, memb. 4, ad 3.

14. Ex D. Thoma, præter ea quæ de generali concursu in superiori libro allegata sunt, cap. 14, addere possumus quod 1. 2, quæst. 80, art. 1, ad 3, ait Deum esse universale principium omnis interioris motus humani: *Sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana*; et in 1, dist. 47, quæst. 1, art. 1 et 2, ubi ait aliquid fieri præter voluntatem beneplaciti Dei, non autem contra illam, scilicet actum peccati, de quo non habet Deus absolutam voluntatem ut non sit, alias esse non posset, quia nihil potest resistere tali voluntati Dei; sed neque etiam habet talem voluntatem absolutam et beneplaciti ut sit; imo habet voluntatem prohibendi illum, et ideo esse dicitur præter Dei voluntatem beneplaciti, et

contra voluntatem signi; ergo, ex divi Thomæ doctrina, non habet Deus absolutam voluntatem qua velit actum peccati esse, sed solum antecedentem, qua vult concurrere, si voluntas creata velit. Et ibidem ait posse voluntatem humanam facere oppositum ejus, quod a Deo permissum est; et loquitur aperte in sensu composito, et reddit optimam rationem: *Quia permissio respicit potentiam causæ ad utrumque oppositorum se habentem; unde neutrum oppositorum contra permissionem est, sed utrumque est secundum eam* ergo, juxta sententiam D. Thomæ, permissio peccati pro formali, non includit prædeterminationem ejus pro materiali; alioqui omnino repugnaret fieri oppositum ejus in sensu composito.

15. Capreolus, in 2, d. 25, quæst. 1, art. 3, ad 4 Scoti cont. secundam conclusionem, eandem doctrinam insinuat, dum ait probabiliter negari signa prioris et posterioris inter causalitatem primæ et secundæ causæ; et subdit: *Illis autem signis concessis, secundum modum nostrum intelligendi solum, et nullatenus extra intellectum, Deus in actu voluntatis humanæ causat perfectam rectitudinem in comparatione ad se, non autem in comparatione ad voluntatem creatam, si loquamur de actu peccati*. Nec inde sequitur (ait) voluntatem creatam in secundo signo non libere peccare, quia simpliciter potest efficere actum rectum, licet in sensu composito non possit, id est, posito quod Deus illum non efficit. Quæ doctrina ad hoc tendit, quod ibi non antecedit determinatio Dei, et illa signa, quæ ratio nostra distinguit, non excludunt veram concomitantiam concursus divini et nostri; et ideo talis sensus compositus non est ex suppositione antecedente, sed concomitante; quapropter non tollit absolutam potestatem recte operandi et habendi concursum, quo Deus efficit rectitudinem actus, etiam in ordine ad voluntatem creatam, si ipsa cooperari velit. Expressius vero in 2, dist. 28, quæst. 1, art. 3, ad 12, cont. 2 concl., cum distinxisset cum Gregorio duplicem modum operandi Dei cum nostra voluntate, scilicet, vel partialiter efficiendo actum, vel præmovendo et applicando voluntatem ad illum, subdit: *Ad productionem actus mali solum primo modo concurrat Deus, quia non facit voluntatem agere actum malum*. Atque hinc constat quomodo intelligendus sit alius locus Capreoli, qui in contrarium citatur, ex 2, dist. 37, quæst. 1, ad 2 principale, ubi ait, dum voluntas agit actum malum, ac-

tionem ejus quoad omne positivum esse posteriorem actione Dei, quia nulla creatura mota agit nisi mota a Deo; et infra dicit voluntatem determinari in hoc actu a Deo. Si tamen sincere legatur, et cum aliis locis conferatur, non agit de prædeterminatione prævia, sed de determinatione, quæ fit per ipsummet actum. Nec loquitur de actione aut motione distincta, quæ in re sit prior, sed de ipsomet concursu immediato in actum, quem motionem vocat, more loquendi D. Thomæ; et secundum rationem tantum ibi admittit prius et posterius, ut aliis locis declaravit, quæ hic et in fine superioris libri indicavi.

16. Conradus 1. 2, q. 79, art. 1, expressis verbis hoc declaravit, dicens: *Cum in hac materia dicitur quod Deus est causa actus peccati quoad substantiam per prius, et plusquam voluntas peccans, licet non agat vel sit causa deformitatis, nota, propter Scotum, quod non debet intelligi quasi prima causa in aliquo instanti attingat effectum et operationem causæ secundæ in seipsa, quasi habeat unam motionem prævia actioni creaturæ voluntatis peccantis, et illa motio prævia prius producat pro aliquo instanti, quam voluntas. Ille enim sensus falsus est; non enim, cum aliquis vult, oportet, antequam velit, præcedere motionem Dei, loquendo de naturali volitione vel mala. Et in hoc sensu videtur se fundasse Scotus, in alio proposito, ubi vult quod ad hoc quod res sint contingentes, oporteat voluntatem divinam esse contingentem, id est, liberam, ita quod si ea necessitate vellet, nihil esset contingens. Et in hoc scienter contradicit philosophis, etiam Aristoteli, quamvis immerito. Sed de hoc alibi. Sensus autem verus est, quod secunda causa non producit nisi in virtute primæ, quæ secundam conjungit suo effectui, et intimius attingit effectum quam secunda, sed cooperando intrinsece secundum modum naturæ causæ secundæ; unde attingit operationem voluntatis modificatam juxta conditionem voluntatis. Et ergo talis effectus non habet necessariam habitudinem ad causam primam, sed contingentem, quia fit ab ea secundum conditionem voluntatis et causæ secundæ, quæ est contingens. Unde habet motionem cooperativam propriæ actioni creaturæ, et secundum modum ejus. Unde, si Deus ageret ea necessitate naturæ, ut philosophi posuerunt, staret nihilominus contingentia rerum, propter defectibilitatem et libertatem causarum secundarum. Quare in proposito intelligas, juxta Doctoris sancti mentem, Deum primo concurrere ad actum peccati, quia, videlicet, voluntas*

non agit nisi in virtute Dei, quæ tamen solum habet motionem cooperativam, et prius attingit cooperando, quia intimius attingit; et non imaginis modo Scotico, quasi sit aliqua duratio naturæ, in cujus primo instanti Deus attingat actum peccati, et in secundo creatura, sed simul duratione, tamen Deus prius perfectione. Et inferius ait totam radicem defectus attribui voluntati creatæ, quia increata, quantum est de se, dat rectitudinem antecedenter, et dat (inquit) etiam consequenter, quantum est ex parte sui, nisi adsit impedimentum; nam, quantum est ex se, Deus illam rectitudinem causaret, si voluntas suam causalitatem causaret. Et inferius doctrinam ex Capreolo Gregorioque relatam inculcat sæpius.

Omitto recentiores, qui sententiam hanc, nimirum, Deum non prædeterminare voluntates nostras ad actus malos, ita approbant, ut oppositæ gravem censuram inurant, quam ego nunc prætermittendam censui; sed videri possunt Driedo, de Captivitate et redemptio. gen. hum., tit. 5, cap. 4; Pighius, libr. 7 et 8 de Lib. arbitr.; Stapleton., Bellarmin., etc. Adde etiam Cumel. 1. 2, q. 111, art. 3, disp. 3, et 1 p., quæst. 22, art. 4. Quam vero consequenter loquatur, dicam infra c. 6.

Voluntate quasi generali concurrat Deus ad actus malos.

17. *Cur voluntas hæc generalis appelletur. — Quid sentiant aliqui de ista voluntate Dei. — Rejicitur illorum placitum.* — Ex his ergo satis constat quo modo et per quam voluntatem Deus conferat generalem concursum ad actum malum; nimirum, non voluntate præmovere, nec voluntate absoluta, qua velit talem actum esse, sed voluntate quasi generali, qua vult ad illum actum concurrere, et qua vult illum actum esse, non absolute, sed subintellecta conditione: Si liberum arbitrium ad illum efficiendum sese applicuerit, seu determinaverit. Cum autem voluntatem illam generalem appello, non est sensus, ut quidam interpretati sunt, voluntatem Dei solum confuse versari circa actus voluntatis creatæ, volens generatim concurrere ad actus ejus; quæ interpretatio est in rigore falsa, nam in Deum non cadit confusa cognitio. Unde, sicut distinctissime omnia intuetur, ita sua voluntate universa in particulari, vel disponit, vel permittit. Atque ita in præsentia, ad hunc actum in particulari, etiamsi malus futurus sit, vult Deus concurrere volente homine. Vocatur autem illa voluntas generalis, quia Deus, quan-

tum est de se, non limitat concursum suum ad illum actum, sed offert illum ad alios bonos vel malos, etiam in particulari, quos in eodem momento posset voluntas hominis habere, si vellet. Neque enim probo quod quidam aiunt, Deum de facto non habere voluntatem concurrendi in hoc instanti cum hoc libero agente creato, nisi ad hunc actum malum, quem præscit voluntatem creatam operaturam. Aiunt enim Deum scientia conditionata præscire quid voluntas creatata effectura sit, si ipse præbeat ei concursum; et prævidens effecturam hunc actum malum, ad illum solum velle concurrere, quia superfluum esset velle concurrere ad alios, quos præscit hominis voluntatem non esse facturam. Hoc (inquam) mihi non probatur, quia si Deus de facto non offerret suum concursum ad alios actus, absolute non esset in proxima potestate hominis illos efficere, et ita non esset liber ad illos efficiendos, juxta doctrinam lib. 1, cap. 1 et 3, traditam, et quæ contra opinionem Scoti, cap. 12 et seq., eodem libro dicta sunt. Nec illa præscientia conditionata obstat, quia illamet supponit ex parte objecti hanc conditionem, scilicet, si Deus det concursum accommodatum voluntati humanæ, ipsa libere hunc actum eliciet, potius quam alium; ergo, ut effectus postea libere fiat, oportet ut hæc conditio impleatur; ergo Deus non tantum ad illum actum, sed etiam ad alios, debet offerre concursum; alias non implebitur conditio, et actus non erit liber, saltem quoad specificationem. Unde non est otiosa aut superflua illa voluntas Dei, quandoquidem ad hoc tendit ut voluntas humana re ipsa sit expedita ad actum cujuscumque speciei, quem in eo instanti posset efficere. Cum autem illa voluntas sit conditionata, non oportet ut aliquid ponat in effectu, non adhibita conditione, sed quod sit tantum in affectu seu præparatione ex parte Dei.

18. *Objectio.* — Dices: ergo ponitur in rerum natura aliquis effectus positivus et realis, sine absoluta et efficaci voluntate, qua velit Deus illum esse, contra illud (Psal. 113): *Omnia quæcumque voluit, fecit*, et illud (ad Ephes. 1): *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; et illud Augustini, 3 de Doctr., c. 4: *Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum*; et 1. 83 Quæst., q. 3: *Hoc est aliquid fieri Deo agente, quod Deo volente*; Et super id Psal. 144: *Justus Dominus in omnibus viis suis. Apud Deum hoc est velle quod facere, quia*

ex ejus voluntate res habent esse. Nec videtur sufficere voluntas conditionata, quia non solum necesse est ut Deus velit concurrere si creatura agat, sed necesse est ut Deus illam agere velit; et ita necesse est ut ipsa conditio cadat in voluntatem Dei; et ita voluntas conditionata transit in absolutam. Assumptum ostendo, quia, sicut non potest creatura esse, nisi Deus velit illam esse, ita nec potest agere, nisi Deus velit illam agere; tantum enim in agendo quantum in esse, a Deo pendet.

Responsio. — Respondetur, concedendo aliquem realem effectum a voluntate creatata fieri, quem Deus absoluta voluntate beneplaciti non vult esse. Neque hoc est mirum, quia nec talis voluntas absoluta Dei necessaria est ut ille effectus fiat, sicut declaratum est, nec ille effectus, prout in re fit, est objectum decens divinam voluntatem, ut sequenti capite latius ostendam. Neque hoc est alienum a doctrina Concilii Tridentini, dicentis Deum hos actus malos operari, tantum permittendo, non igitur simpliciter volendo illos. Idemque fere est quod Augustinus et alii Sancti dicunt, Deum esse auctorem omnium potestatum, non autem omnium voluntatum, scilicet actualium, seu volitionum; si ergo illarum auctor non est, neque illas simpliciter vult. Denique idem est quod D. Thomas dixit, hos actus non esse ex voluntate Dei consequente et beneplaciti, neque contra illam, sed præter illam. Et idem est sensus aliorum Theologorum quos retuli. Quamvis ergo Deus omnia quæ voluit, fecit, quæ tamen simpliciter non facit, non oportet ut ea simpliciter velit; hujusmodi autem sunt peccata. Ut vero in actus illorum influat, et suo modo illos efficiat, satis est ut in eos etiam velit influere, non per se solum, neque absolute, sed concurrente causa secunda. Unde eo modo quo hunc effectum operatur, illum facit secundum consilium voluntatis suæ, accommodatum tali modo concurrendi. Nam æterno suo consilio prudentissime decrevit suum concursum ad hos actus præstare, et id exequitur media voluntate, modo supra declarato. Et ita etiam veræ sunt omnes locutiones Augustini, sumptæ cum distributione accommodata; nam voluntas Dei est principium hujus effectationis, prout a Deo est, non tamen voluntas absoluta de tali actu secundum se, sed voluntas concurrendi ad illum modo prædicto. Neque oportet ut Deus absoluta et efficaci voluntate velit nostram voluntatem agere, ad hoc ut ipsa agat; sed satis est quod eam agere permittat aut sinat;

atque adeo ut velit eam agere, non simpliciter, sed subintellecta conditione, si ipsa velit. Neque est in hoc exacta similitudo inter esse et agere; nam voluntas habet esse a solo Deo, et ideo necessaria est absoluta voluntas Dei, qua velit ei dare esse, seu creare illam; voluntatem vero agere non est a solo Deo, sed est etiam ab ipsa voluntate; et ita est ab illa, ut non possit non esse ex intrinseca vi et facultate ejus; et ideo non est necesse quod Deus simpliciter velit illam agere, sed quod velit præbere concursum, illamque sinere, ut sua facultate volendi aut agendi utatur.

Differentia inter prædeterminationem et concursum.

19. Atque ex his facile est intelligere differentiam inter hanc voluntatem concurrendi, et voluntatem prædeterminantem; est enim multiplex. Prima, quod in voluntate concurrendi modo prædicto Deus nihil efficit se solo circa actum peccati; et ex hac parte non potest ei tribui ut auctori. At vero per voluntatem prædeterminantem Deus se solo efficeret in voluntate nostra determinationem ad actum peccati, præviã ad illum, ratione cujus merito tribueretur Deo et actus peccati, et quidquid cum illo conjunctum est. Nam si illa prædeterminatio est aliquid physicum et reale voluntati inhærens, illud est tanquam gravitas quædam pertrahens voluntatem ad profundum peccati; merito ergo tribuetur peccatum Deo danti talem impetum, multo magis quam motus gravis tribuatur generanti, vel quæ consequuntur formam ei qui dat illam, vel motus projectorum imprimenti impetum. Si vero illa determinatio non est prævium aliquid inhærens, sed efficax motio Dei, immediatius tribuendum erit Deo quidquid ex illa motione consequitur; sicut tribuitur voluntati quidquid ex brachii motione sequitur, quamvis nihil prævium imprimat, sed ex naturali subjectione efficaciter moveat. Secunda differentia est, quod voluntas concurrendi non est de se determinata ad malum actum, sed indifferens, ut explicatum est. At vero voluntas prædeterminans est ex se definita ad actum malum, et ideo ex vi ejus cadit in Dei voluntatem actus malus, et virtualiter saltem et implicite malitia ejus; quandoquidem Deus, ex solo suo arbitrio, ad illum potius quam ad bonum, suum velle definivit, et per illud voluntatem humanam determinavit. Ex vi autem prioris concursus non cadit in Dei volunta-

tem absolutam actus malus, sed sola permissio ejus. Tertium discrimen est, quod voluntas concurrendi de se et absolute non est efficax, sed sufficiens, et cum cooperatione humanæ voluntatis habet effectum; voluntas autem prædeterminans esset efficax ex se, et ideo ratione illius vere diceretur Deus facere ut faciamus malos actus, quod nullatenus dicendum est.

20. *Responsio ad ultimam objectionem.*— Ad tertiam ergo objectionem in forma respondetur negando sequelam, scilicet Deum dici posse auctorem peccati ratione generalis concursus, prout a nobis est explicatus; tum propter dicta, quod Dei concursus ex se offertur indifferenter; tum etiam quia tota illa actio realis, quæ est a Deo, prout ab ipso est, manere posset sine vera ratione culpæ aut mali moralis; ut, si homo cum ignorantia invincibili aut inadvertentia naturali eundem actum realem haberet, careret malitia peccati, et Deus eundem influxum numero præberet. Et hac ratione etiam nec dici potest Deus causa per se physica peccati, ut per se constat, nec moralis, quia ad illud non movet nec prædeterminat. Neque etiam potest dici causa moralis per accidens, vel indirecte, quia non tenetur suum concursum negare. Neque etiam physica per accidens dici potest, quia cum ejus causalitate physica, ut illius est, non est necessario conjuncta deformitas. Si autem prædeterminaret voluntatem humanam ad talem actum, dicendus esset Deus causa moralis, et per se, utpote libere movens et pertrahens ad peccandum; et per accidens, utpote dans motionem non necessariam ex vi generalis concursus. Et ideo etiam non sequitur quod voluntas concurrendi sit virtualis voluntas malitiæ, sed permissionis tantum, quia illa voluntas ex se indifferens est, et inefficax de se; at vero si esset prædeterminativa, esset virtualis volitio malitiæ, quia esset definita ex seipsa et efficax. Rursus propter eandem causam non potest Deus dici ratione concursus cooperari ad malum, tum quia ejus cooperatio de se abstrahit a malitia; tum etiam quia non debet illam negare, sed concedere propter generalem rationem providentiæ, et propter alia majora bona. Secus vero esset de prædeterminatione, quia ex vi ejus sequeretur infallibiliter malitia, quia prædeterminaret actum moralem ut sic, et cum omnibus circumstantiis, ut satis declaratum est. Denique non sequitur Deum casu concurrere, sed ex perfectissima præscientia, quia prævidet

hominem effecturum actum malum, si ipse velit cum eo concurrere, et nihilominus vult, et ita in tempore actu influit, videns quid faciat, et propter quid, non tamen volens absolute ut hoc modo faciat, sed tantum volens permittere; quod in sequentibus capitibus amplius adhuc explicandum erit.

CAPUT IV.

NON PRÆDEFINIRE DEUM ÆTERNO SUO CONSIPIO ET VOLUNTATE ACTUS PRAVOS.

1. *Prædefinitio divina non potest in actus malos cadere.*— Distinximus in fine superioris libri prædeterminationem divinam transcurrentem (ut sic dicam), seu efficientem passivam præmotionem ac prædeterminationem in voluntate nostra, a prædefinitione immanente et interna, qua Deus intra se disponit, quæ operari aut fieri intendit. Diximusque hanc prædefinitionem non repugnare actibus liberis, etsi prior determinatio repugnet. Nunc ergo addimus, licet hæc prædefinitio non repugnet actibus voluntatis, eo quod liberi sint, repugnare his actibus malis, quia mali sunt, seu quia malitiam habent necessario adjunctam. Oppositum docent non solum hæretici hujus temporis, sed etiam aliqui Theologi. Addunt vero illam limitationem, scilicet, prædefinire Deum actus peccatorum pro materiali, non tamen pro formali.

2. *Probatio ex Scripturis.*— Contrariam sententiam veram esse censemus, quam multæ sacræ Scripturæ locutiones declarant, in quibus dicuntur hi actus mali omnino alieni a divina voluntate; quæ autem Deus prædefinit non sunt ab ejus amore et voluntate aliena, cum illa vere amet et efficaciter velit; Habac. 1: *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non potes.* Ubi ad litteram sermo est de scientia approbationis; est autem eadem vel major ratio de voluntate prædefiniente; non enim potest Deus non approbare quæ absoluta voluntate et decreto vult fieri. Unde est generalis illa locutio Psalm. 5: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et specialiter de voluntate prædefiniente optime intelligitur illud Jerem. 19: *Repleverunt locum istum sanguine innocentium, et ædificaverunt excelsa Baalim, etc.; Quæ nec præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Quo testimonio excluditur imprimis hæreticorum distinctio, quod

Deus hæc nolit voluntate signi, velit autem ac præfinit voluntate beneplaciti; prædictis enim verbis non solum voluntas signi, quæ præcepti nomine indicatur, sed etiam voluntas beneplaciti excluditur per illa verba: *Nec ascenderunt in cor meum.* Quomodo enim dici potest non ascendere in cor Dei, quod absoluto decreto præfinitur, et absoluta ac efficaci voluntate amatur? Et, ne ad formalitatem peccati quis fugiat, de ipsis actibus et materialibus operibus peccatorum sermo est expressus, de quo plura statim. Hoc confirmant illa testimonia, in quibus dicitur Deus hæc odio prosequi, Psalm. 72, Sap. 14, et similia, quæ, quia eandem fugam habent et vulgaria sunt, congerere non est necesse.

3. *Probatio ex Conciliis.*—Secundo probatur eadem veritas ex Concilio Arausicano II, can. 23, dicente: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Aut enim hoc intelligendum est de malo pænæ, aut culpæ: si de malo pænæ, ergo a fortiori est verum de malo culpæ; tum quia detestabilius hoc est; tum etiam quia non potest prædefiniri malum culpæ, quin in eo virtute prædestinetur malum pænæ. Si autem intelligitur de malo culpæ, habemus quod intendimus; nam prædestinatio et prædefinitio solis nominibus differunt. Et si utraque vox ad voluntatem, vel utraque ad intellectum applicetur, idem prorsus significant ambæ; et hic est frequentior usus harum vocum apud Patres, ut constat, et in sequentibus videbimus. Si vero prædestinatio ad intellectum, et prædefinitio ad voluntatem referatur, licet ratione differant, inter se tamen convertuntur; nam quidquid sub prædestinationem cadit, præfinitur, et e contrario. Nam ad id Deus per prædestinationem ordinat certa media quod per voluntatem præfinit; si ergo Deus peccatum non prædestinat, neque etiam illud prædefinit.

Præcluditur communis fuga.— Hic vero statim occurrit illa responsio, hanc Concilii definitionem intelligi de malis prout mala sunt formaliter, non de actibus, qui deformitati morali substernuntur. Sed ad hanc fugam refutandam satis opinor esse quæ in cap. 2 dicta sunt; in hac enim prædefinitione sunt quodammodo clariora. Nam quid est, quæso, prædefinire Deum, absoluto decreto peccatum Judæ quoad materiale, nisi æterno suo consilio ac voluntate intra se statuisset, et ef-

ficaciter voluisse ut Judas venderet, seu vellet vendere Christum libero et humano modo? Non est enim aliud materiale in illo peccato interno nisi hæc voluntas aut hæc actio. Interrogo igitur, si vellet Deus prædefinire peccatum Judæ quoad formale, quomodo id esset facturus? Hic enim dici non potest, ut Deus prædefiniret actum malum quoad formale, oportere quod actus prædefinitus habeat rationem peccati in ordine ad prædefinitionem divinam; non enim prædefinitur talis actus, sed qui sit peccatum in ordine ad voluntatem humanam; satis ergo erit quod Deus prædefiniret, ut ille actus fiat a tali voluntate cum tali scientia, prohibitione et modo, ut in ordine ad proximam voluntatem a qua fit, necessario habeat malitiam; at vero totum hoc revera includitur in prædefinitione illius materialis peccati, ut declaratum est. Neque etiam est necesse ut Deus velit directe et formaliter actum illum, quia malus est, vel ut malus sit; hoc enim nullus hæreticorum dixit, nec Concilium in hoc sensu, qui in nullius mentem venerat, loqui potuit. Adde ex opposita sententia sequi Deum ipsammet malitiam velle, non propter seipsam, sed saltem ut medium ad alium finem a se intentum, ut in hoc capite et sequenti ostendam, quo fit ut malum, etiam ut malum, prædestinatum sit saltem ut medium.

Unde hanc etiam veritatem confirmat canon 23 ejusdem Concilii Arausicani dicentis: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet.* Accedit etiam decretum Concilii Valentini Gallici, sub Lothario, c. 3, dicens: *Fatemur prædestinatione ea tantum Deum statuisset, quæ ipse vel gratuita sua misericordia, vel justo judicio facturum erat; in malis vero ipsorum malitiam præsciisse quia ex ipsis est, non prædestinasse quia ex illo non est;* et infra: *Aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausicana Synodus, illis anathema dicimus.* Huc etiam spectat quod in V Synodo, act. 4, inter blasphemias Theodori refertur, quod dixerit disposuisse Deum ut homines peccarent, quia ita eis expediebat.

Patrum testimoniis intenta assertio comprobatur.

4. Ex Patribus multa possunt afferri, quibus hæc veritas confirmetur; ut tamen brevi-